

nomina sunt omnium pretiosissima, ut Plato ait in Philebo, nec valdè improbo. Attamen, quia lux illa mentis, quam sapientiam dicimus, assimilari quodammodo solet luci corporeæ; contrà autem libertas arbitrii sive voluntas nihil simile habet in mundo, quia omnes in eo res agunt necessariò, videtur illa libertas majorem & pulchritudinem & admirationem habere. Sed hac de re plenius fortè alibi.

4. Quid in *cognitione* hominis maximè admirabile? Res. Mirabile est quòd mens nostra (nisi singularis accesserit cultura) sibi ipsi tam sit ignota, cùm sibi non peregrina, sed domestica, non aliena, sed propria. Verùm ut illi qui nimis diu peregrinantur, tandem velut hospites & extranei in patria fiunt, ut loquitur Cartesius Diff. de Meth. pag. 5. ita quoniam nimis diu mens nostra ab in-
eunte ætate peregrinata fuit in rebus corporeis, ipsa sibi incognita, mansit, adeo ut extera videatur meliùs nosse, quàm sua domestica. Ut ergo matura jam ætate vitia juventutis corrigere discat, necesse est ut seriò incipiat philosophari à semet ipsa, pòst ad alia se conferat, quæ domi suæ habet priùs cognoscat & curet, quàm
ex-